



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Asiaticae Historiae Societatis Iesv Pars ...

Libris Quatuor Comprehensa: Vbi praeter res gestas à Patribus Societatis Iesv in conversione Sinarum, Cocincinae, & Tunchini Regnorum nihil omittitur eorum, quae possunt liberali placere Lectorum curiositati

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1670

117. Generositas duorum Christ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10757

117.
Generositas
duorum
Christ.

indictam mihi tam barbaram & præcipientem fugam, vix ut licuisset, mediæ eorum partem de peccatis audire. Inter hæc Matthias ut erat in vinculis pergebat annuntiare Christi legem, & ignominia illatæ patientia hilari, & amore, palam ethnicis facere cuiusmodi esset lex quam profitebatur, quoad tandem lictores, audire illum diutius tædedit, sustinuitque dicentem abrupte; quibus excipiendis Antonius qui vincus adhuc tenebatur se medium iniecit, & hunc caditis ait, quod Christianus sit? sum & ego pariter Christianus, si plagas quas ei infligitis (quod rogo plurimum) non lubet in me omnes conuertere, parte me saltem quæ mihi debetur, nolite frustrari. Non fuit hic opus verbosis precibus, vnus Ministrorum detractam, quam ut mos Christianorum est gerebat in manica crucem multis, & durissimis ictibus in os, vultum, & pectus impingit, gemente multum Antonio, salutis instrumentum dedecorari tam indigno vsu. His Mandarinæ filius cum superuenisset, ex Antonio quæsiuit, quod suum ob scelus tam malè haberetur? ego Dei amore, inquit, eiusque legis sanctissimæ benè ac bellè quæ Dei est gratia habeor; quod sarcasmo exceptum ab idololatra, magno ardore suadere Antonius institit, illudque Christi fusius enarrate, *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Verso dehinc ad astantes sermone in cælorum Regnum, & ineffabilem Dei præstantiam se latius efferre, quibus teneriter affecta quæ aderant honorariæ aliquot ex palatio puellæ, libertatem illi & socio à Mandarinæ impetrarunt, & multa commendatione probitatem illorum apud ipsam laudarunt; voluit tamen admonitos in posterum saperent; emendaréntque præterita; quibus illic, vtramuis in partem quicquid accideret parati, responderent intrepidè, malorum esse emendationem non rectè factorum. Quale certò esset quod verabat, diuinæ legis præconium; quam cum essent amplexi, eius necessitate perspicuè cognita, non posse illam absque piaculo alios eclare; lictores parum responsis attentis ambos soluunt, *gaudentes quoniam digni habiti essent pro Iesu nomine contumeliam pati.* Huc vsque Maiorica, cuius in Engheana Prouincia, quinquennis, & vagæ expeditionis fuit idem tenor alternantium malorum & bonorum; consolationis & doloris inuicta semper animi firmitate, & constanti laborum perseverantia. Sed enim Septembri huius anni consternatus est immani spectaculo; mare fines egressum eluione improuisa pagos obruit adiacentes, ædes sacras, multosque Neophytos, quos excepit post paulum à Rege furioso terribilior tempestas; edictum infame octaua luna hoc est mense Septembri promulgatum, quo Christianos colluuiem hominum vilem, flagitiosam, nullius pretij & famæ nominabat; vetabat quenquam ad eorum sectam accedere; Catechistis exilium ab aula indicebat; iubebat ab regionalibus Præfectis inuestigari Christianos, nisi professione abiurata patrios cultus repeterent, capi, vinciri, tribunalibus sisti puniendos. Procellæ huius incitator ventus, flatus pessimæ Regis concubinæ. Annonæ angustias,

116.
Edictum
Reg. Tüch.
in Christ in-
fame